

I. N. D. O. M.

DISSERTATIO ACADEMICA,
EXPLICATURA QUÆSTIONEM:
AN LEGES DIVINÆ POSITIVÆ
UNIVERSALES DENTUR?

CUJUS

PARTEM POSTERIOREM,

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. IN REG.
AD AURAM LYCEO,

PRÆSIDE

MAG. *JOHANNES BILMARK,*

HISTOR. AC PHIL. PRACT. PROFESSOR REG. ET ORDIN.

PRO LAUREA

PUBLICÆ EXAMINANDAM SISTIT

JOHANNES FRIDER. REICHARDT,

SVEO-GOTHUS,

IN AUDITORIO MAJORI

DIE XVII MAJI ANNI MDCCLXXXVI,

HORIS ANTE MERIDIEM SOLITIS.

ABOÆ, TYPIS FRENCKELLIANIS.

§. VI.

Præceptum Divinum de individua conjugum cohabitatione cum præcepto de Monogamia arcte adeo cohærere multis videtur, ut hoc etjam ex verbis Gen. II: 24. *Maritus adhærebit suæ uxori, & erunt in carnem unam*, fluere existiment; ex quibus porro inferunt, prohibitam esse polygamiam, atque hoc interdictum pertinere ad Legem Divinam 1:0 *Positivam*, quia nullum habet nexum cum natura hominis rationali, 2:0 *Universalem*, quia data fuit Adamo & Evæ, totum genus humanum in statu integritatis præsentantibus. Quamobrem ex instituti nostri tenore in duo potissimum momenta nunc inquiremus, cum an populus Israëliticus, cui statuta & jura sua commiserat Deus Psalm. CXLVII: 19, sensum legis allatæ ita acceperit, quasi prorsus interdicta esset Polygynia seu Polygamia virilis, qua uni viro plures simul feminæ matrimonio junguntur? Tum etjam annon juri Naturæ contrarietur isthæc matrimonii species? atque adeo necessarium non sit, ut ad Jus Divinum Positivum universale in hoc recurramus negotio. Et primo quidem nuspiam, quantum nobis constat, in Scriptura Sacra expresse prohibetur Polygamia jam
me-

memorata, aut polygamis pœna quædam positiva denunciatur, nedum isthoc interdictum vel Adamo vel Noacho, præceptorum Juris Positivi Universalis depositariis, ceu communiter habentur, fuit datum. Contra ea sacræ docent pandectæ, Patriarchas, tam Lamechum antediluvianum, quam postdiluvianos Abrahamum & hujus nepotem Jacobum, ut alios reticeamus, plures simul thalami socias sibi adjunxisse, eundemque morem secutum fuisse Regem Israël Davidem, ob pietatem in Deum conspicuum. Nec reticendum, quod summus Pontifex, idemque Legis Divinæ & custos & interpres gravissimus Jojadas, Joæ Judæorum Regi, duas simul duxerit uxores, 2 Chron. xxiv: 3; aliter procul dubio factururus, si polygamia ex sua sententia fuisset Jure Divino prohibita. Quid? Quod in veteri Testamento Deut. xxi: 15, 16, 17 occurrant leges, polygamis a Deo latæ; quibus autem non id intendit, ut polygamiam probaret, sed ut eadem ob duritiem cordis populi Israëliti præsupposita, saltem quid circa liberos, a polygamis natos, injustum sit præcaveret. Quamvis etjam Moses in promulgatis constitutionibus polygamiam simpliciter non prohibuerit; docent tamen Hebræorum statutorum periti, quod polygamis officia, minime commoda, fuerint præscripta, ut has sibi tanto minus permitterent delicias.

§. VII.

Ad alterum pergimus momentum, visuri, an polygamia sit juri Naturali consentanea. Quum itaque jus nominatum nobis injungat, ut ea faciamus, quæ ordini, in rerum natura a Sapientissimo Creatore constituto, sunt conformia, contraria autem omittamus, atque ex calculo hominum quotannis natorum ac denatorum affatim constet, quod numerus tam puerorum & puellarum quovis anno natorum, quam hominum utriusque sexus intra idem intervallum mortuorum, sit quam proxime æqualis; prona fluit consequentia, singulis maritis binas aut plures suppetere non posse uxores; sed ubi unus quatuor duxerit uxores, tribus aliis a conjugio esse abstinendum. Polygamus itaque aliis suas eripit uxores, quibus proinde gravissimam facit injuriam; quod adeo est planum, quam ab altera parte obscurum, quis talem injuriam huic vel illi fecerit. Enimvero hæc ignorantia non magis tollit injuriam, quam si noctu a promiscua latronum turba uxores constuprentur, ubi, quis cuique vim intulerit, latet. Patet itaque, quod æquale jus matrimonia ineundi, per Naturam hominibus competens, per polygamiam tollatur. Objiciat autem quispiam, Naturam intendere propagationem generis humani, eamque per Polygamiam promoveri; nego autem medium hoc esse aptum fini intento obtinendo. Nullam enim est dubium, quin mulier ex marito,

rito, quem sibi habet solum, plures susceptura sit liberos, quam ex eodem, si inter plures divisum uxores, quarta modo, aut decima aut centesima demum parte suum vocare possit. Hinc Itineraria docent, quod in amplissimis populorum Orientalium gynæceis pauci reperiantur liberi, & quod polygami proinde crimen læsæ humanitatis committant. His addamus incommoda, quæ ex Polygamia, non quidem in se spectata, attamen per variam hominum indolem communiter fluunt, quorsum referimus invidiam, zelotypiam, æmulationem, quæ ubi fervent, tranquillitas turbatur domestica, & liberorum tam procreatio, quam imprimis educatio plurimum impeditur; quorum malorum cum tristia nimis exempla in familiis Abrahami & Jacobi occurrant, licet hi & probi essent & multa pollerent auctoritate, quid igitur eveniret aliis, qui pro mulieribus probis ac modestis vel Medæas vel furias aliquot domi alerent? Quæ mala quum remota cupiat Jus Naturæ, simul etjam causam eorum, polygamiam, improbat; unde concludo, quod in moralitate polygamie eruenda haud opus sit, ad Legem Divinam Positivam Universalem confugere.

§. VIII.

Prævidemus fati ictum, a contrariæ opinionis promachis nobis imminentem, qui Herculeo nostram debellaturi sententiam argumento, calculos in hunc

subducunt modum: si Polygamia Juri Naturali, quod, in essentia & sanctitate Divina fundatum, est immutabile, contrarietur, quomodo Deus in capite hujus Juris de Polygamia potuit dispensare, amicis quibusdam suis concedendo facultatem plures simul ducendi uxores? Haud opus est, ut cum quibusdam Eruditis dicamus, Polygamiam fuisse Patriarchis atque aliis a Deo indultam propter tenerum, quo flagrabant, desiderium, videndi tot votis a se expetitur Messiam, ex sua stirpe oriturum. Præterquam enim, quod pia hæc ratio in meram resolvatur conjecturam, ægre omnino admitti potest, Deum sanctissimum propter talem causam in Lege sua Universali dispensasse. Simpliciter potius respondemus: nullo ex Scriptura Sacra deprompto argumento posse probari, vel quod Deus sanctis viris polygamiam expresse permiserit, vel quod eandem contractam approbaverit, adeoque in sua dispensaverit lege; unde conficitur, quod hi viri ex proprio ausu plures duxerint uxores, non quidem animo optimum offendendi Deum, sed ex ignorantia, & quod populi ac temporis illius hoc esset vitium. Nec nostræ sententiæ officit locus 2 Sam. XII: 8, ubi Deus inter beneficia innumera, quæ in Davidem cumulaverat, hoc etiam refert, quod in sinum ejus tradidisset Regis Saulis uxores, quem ita interpretantur nonnulli, ut Deus permiserit Davidi ducere uxores Saulis in matrimonium; alii autem phrasin illam in loco citato *in sinum tradere* non de societate conjugali, sed de im-

imperio ac potestate rectius explicant. Forte itaque citati dicti hic est sensus: Davidem, si defuncti Regis Saulis viduas, quas in sua tenebat potestate, duxisset, minus peccasse, quam quod Uriæ uxorem corruperat; peccasse tamen.

§. IX.

Ordinationem Divinam de potestate mariti in suam uxorem, quæ colligitur ex dicto Gen. III: 16, ubi Deus Evæ denunciat: *Voluntas tua erit marito tuo subiecta, & ipse erit tuus Dominus*, ad Leges Positivas Universales referentibus harum vindicibus, nostram quoque in hoc argumento indicabimus mentem. Statim itaque observo, quod Eruditi multum disputent: An allata Dei verba per modum præcepti sint intelligenda, vel an pœnam contineant Evæ ob prævaricationis crimen denunciata? Sed quum alterum in gratiam assumtæ de Legibus Positivis Universalibus hypotheseos præsumatur; alterum vero ipsius contextus Biblici ratio manifesto ostendat, utra prævalere debeat sententia, fugere potest neminem. Adhuc quæritur: An citata verba sint vel universaliter, vel singulariter accipienda? Quocirca posterior sententia est probabilior; siquidem Eva, quæ duplex commiserat peccatum & comedendo ex fructu arboris vetitæ, & maritum ad idem faciendum pelliciendo, nominatim, designetur; quomodo dictum Gen.

III: 16. multum differt a statuto Gen. II: 24; quare conclusio non minus facilis, quam firma erit, quod in allato dicto Biblico nulla lex Positiva universalis contineatur. Quod licet ita sit, jus tamen mariti in suam uxorem tantum est, quantum permittit *Φιλανθρωπία* Legum Naturalium. Conjugium enim est societas inter marem & feminam sobolis procreandæ & educandæ causa libere inita; per hanc itaque reciproca quædam tam jurium, quam obligationum, inter conjuges introducitur relatio, respectu utriusque hujus finis matrimonii. Sed quum nulla societas consistere, nedum florere possit absque ordinis observantia, hic autem in maxima ingeniorum humanorum varietate impetrari nequeat, nili jus directionis alicui sociorum asseratur, atque huic administrando gravitas virilis tantum conveniat, quantum eidem feminea repugnet levitas; æquissimum est, ut jus hoc directionis marito tribuatur. Non sic tamen imperium quoddam marito in uxorem defertur, quippe quod voluntariam supponit subjectionem; qualis nulla datur inter membra societatis æqualis. Alius etjam est finis matrimonii, alius civitatis, in qua necessarium erat imperium; ille enim est sobolis procreatio & educatio, quæ mutua conjugum amicitia obtinetur; hic publica securitas, quæ frustra sæpe speratur, nisi Imperanti asseratur jus tam puniendi, quam jus vitæ ac necis; quorum vero neutrum sine summa in thalami sociam injuria sibi vindicare potest maritus. Quibus argu-
men-

mentis exinde quoque accedit robur, quod in *Lege* Mosaica nusquam repetatur statutum de imperio quodam mariti in uxorem, & in novo *Fœdere* uxorum officium exprimitur per verbum *ὑποτάσσειν*, quod proprie significat ordinis servandi causa alicui subesse, maritique, huic reciprocum, per honorem uxori debitum; quæ mutua officia cum jure directionis, nulla autem ratione cum imperio consistere possunt. Cum itaque Deus nullum marito in suam uxorem concesserit imperium, sicut hæcenus ostendimus; argumentum quoque, quod ex hoc imperio ad stabiliendas *Leges Positivas universales* desumitur, nullius erit momenti.

§. X.

Interdictum esus carnis crudæ, seu quæ in suo adhuc esset sanguine, *Gen. ix: 4.* occurrens, quod *Noachus* accepit, postquam ex *arca* fuisset egressus, ad *Leges Positivas Universales* referunt quidam *Eruditi*, cum quia ratio non perspicit quidquam obstare, quominus cruentis utamur dapibus, tum quia hæc lex præscripta fuit *Noacho*, alteri generis humani *Syndico*. Hi tamen fatentur, legem illam esse universalem ratione subjecti, non temporis, adeoque non perpetuam, sed in *Novo Testamento* abrogatam, quod ex *Matth. xv: 11.* & *Col. ii: 16.* colligi opinantur. Enimvero lex memorata non ita est *Positiva*, ut nullam plane ejusdem rationem objectivam mens nostra as-

sequatur. Non jam urgemus, quod de Themistocle perhibet Valerius Maximus (a), eum, *hausto sanguine tauri, ut claram victimam, vivum concidisse*, quum si quid tale acciderit, pernicies ista ex potus nimia quantitate provenerit; docet tamen experientia, tam quod dapes cruentæ, quia difficulter possunt digeri, sanitati officiant, quam quod homines cruentis adsveti negotiis ferociam contrahant, humanitati, ad quam Deus nos creavit, inimicam; quod tanto est certius, quum animalia etjam ejusdem speciei diversam prodant indolem pro ratione tam alimentorum vel crudorum vel mollium, quam institutorum. Patet itaque, legem memoratam in natura hominis, nec in solo Divino arbitrio suum habere fundamentum, adeoque naturalem (b) esse, non Positivam. An vero ex dictis Biblicis supra allatis certo possit colligi, Legem, quæ esum carnis cruentæ prohibet, in Novo abrogatam fuisse Testamento, qui me magis acutum vident, dispiciant alii. Contrarium evincere nobis videtur statutum Concilii Hierosolymitani, quo gentibus, ad Sacra Christiana conversis, injungitur, ut a sanguinis esu abstererent, Act. xv: 29. Quales dapes in Veteri Fœdere Israëlitis speciatim fuerunt interdixtæ Levit. xvii: 10, ut ab Ethnicis, qui sanguinem animalium, in magnis festis immolatorum, largiter bibebant, distinguerentur; ejusdem potu pro signo ad Idololatriam defectio- nis haud dubio tunc habito.

(a) *Libr.*

(a) *Libr. V. Cap. 6.* (b) Ex alio plane capite Legem Gen. IX: 6. memoratam fuisse naturalem, ostendere nititur HENR. DE COCCEII in *Dissertat. Proœmali ad Grot. III. Sect. II. f. 38.*

§. XI.

In seriem Legum Positivarum universalium referri quoque solet præceptum, Noacho datum, de homicida, capitali pœna plectendo Gen. IX: 6. *Quisquis sanguinem hominis effuderit, ipsius vicissim sanguis ab hominibus effundetur.* Quocirca observandum, quod quum Lex Naturalis omnem læsionem & proinde læsionem gravissimam, homicidium, prohibeat, ipsa Legis hujus, Noacho datæ, constitutio, ad Jus Naturæ omnino pertineat; quod tamen nusquam determinat vel quantitatem vel qualitatem pœnæ, illius transgressoribus infligendæ; quare etjam sanctio pœnalis, ipsi constitutioni in allato dicto Biblico immediate adjecta, de homicida capitaliter puniendo, est positiva; talis tamen, ut eandem haud esse iniquam nostra perspiciat ratio, siquidem hac severitate cum obex malitiæ ac ferocitati humanæ ponatur, ne detestanda latius serpat perniciēs, tum etjam ut alii, exemplo puniti terrefacti, ab immerita aliorum cæde abstineant. Enimvero an isthæc sanctio sit vel universalis vel particularis? Ambigua magis est quæstio. Prius quidem generalia legis allatæ verba innuere videntur; quominus autem eandem esse universalem, & qua talem perpetim obligaturam, credamus, obstat, cum quod

D 2 ho-

homicidii species in ipsa non exprimatnr constitutio-
 ne, tum etiam, quod ut homicidium qualificatum me-
 retur supplicium capitale; ita simplex, imprimis for-
 tuitum seu Casuale, mitigationem poenae, tam ex æ-
 quitate naturali, quam ex instituto Dei, qui hujusmo-
 di homicidis asyla quædam, in quibus persecutio-
 nem ultoris extimescere necesse non haberent, aperuit,
 postulavit. Luculentum enim est Statutum Divi-
 num Deut. XIX: 4 occurrens: *Hoc esto Jus occiso-
 ris, qui fugerit illuc, ut vivat, qui percusserit proxi-
 mum suum imprudenter, quum ipse non oderit eum an-
 tea.* Si quis nihilominus urgeat, verba legis hujus
 indefinite posita, quodvis comprehendere homicidi-
 um, huic non multum repugnabimus, modo nobis
 vicissim concedatur, legem hanc ab initio tantum
 fuisse universalem, datam populo, in ejus cœtu plu-
 res fuerunt asperrimo ingenio ac ferocibus moribus,
 maxime igitur necessariam eo, quo lata fuit, tem-
 pore, ne genus humanum de novo quasi adolescens,
 in ista, qua vivebat, solitudine ac vastitate, præsi-
 dio Magistratus destitutum, ad incitas brevi redige-
 retur; postea autem dum generis nostri tranquilli-
 tati aliunde esset prospectum, ex æquitate natura-
 li limitandam. Videant igitur illi, qui in præsentia
 a nobis dissentiunt argumento, quo jure memorata lex
 ad Leges Divinas Positivas Universales possit referri;
 nobis sufficit, quod præter allatas rationes nostra sen-
 tentia nitatur auctoritate Illustr. JOH. DAV. MICHAELIS

LIS tam in Commentatione sua priori ad Leges Divinas de pœna homicidii; quam in libro Mosaisches Recht Tom. VI. p. m. 22 & 23.

§. XII.

Palmarium argumentum, & quod arduam illam de Legibus Divinis Positivis universalibus controverfiam ex multorum opinione conficit, est illud, quod in scenam orbis Eruditi produxit GROTIUS, qui quum ex Sacris didiciffet pandectis, populos Cananæos propter commiffa peccata, quæ Levit. XVIII expresse prohibentur, & quorum pravitas ex lege non conftat Naturali, graviffime fuiſſe punitos, cum ſuo concludunt antefignano, Leges Divinas Positivas & quidem univerſales dari. Expendamus igitur Achilleum hocce argumentum, ſed ſeponamus tantisper GROTII auctoritatem, & rem ipſam ad ductum Scripturæ Saceræ ſimpliciter examinemus. Nullum omnino eſt dubium, quin populi, terram Canaan proxime ante hujus occupationem, ab Iſraëlitis factam, inhabitantes, propter atrociam delicta ex juſtiſſimo Dei judicio avitis ejecti fuerint ſedibus; ſiquidem in Scriptura Sacra, cujus teſtimonium quavis demonſtratione ſuperius eſſe agnoſcimus, hoc diſertis indicetur verbis Levit. XVIII: 24, 25. Quo autem, uti par eſt, conceſſo, nondum tamen eſt evictum, quænam præciſe hæc fuerint flagitia, an heic reſpiciatur ad inceſtas nuptias

feu, ut communiter dici solent, ad connubia in gradibus prohibitis? An vero alia, his etiam magis nefaria, delicta vindictam provocaverint Divinam? Priorem quaestionem affirmarunt illi, quibus doctrina de Legibus Positivis universalibus perplacuit, sed qui tamen petitionem principii, ut Logici loquuntur, committunt, quum ostendere prius debuissent, Legem illam, qua matrimonia in propinquis consanguinitatis & affinitatis gradibus Levit. xviii. prohibentur, fuisse omnibus in universum populis promulgatam. Contra ea autem ostendere conabimur, interdictum Divinum huc spectans, illi etiam genti, quam in peculium elegerat Deus, quanto igitur magis aliis nationibus, quibus statuta Domini non fuerant commissa, ignotum fuisse. Ex Historia Sacra constat, quod Patriarcha Abrahamus, cui titulus Patris fidelium ob suam pietatem datus, germanam suam Sororem, ceu ipse Gen. xx: 12. profitetur, in matrimonium duxerit; ipsam salva non ducturus conscientia, si novisset tale matrimonium Lege quadam Divina Positiva sive universalis, sive particulari esse sibi interdictum. Nec quis credat, Abrahamum, nullo Majorum suorum exemplo ductum, tale connubium inire fuisse ausum; nisi enim Præadamitas temere fingamus, talia conjugia obtinuerunt inter Adami liberos, immo hos inter fuerunt plane necessaria, ne genus humanum in ipso suo prorsus interiret ortu. Similiter de Abrahami nepote, Patriarcha Jacobo, viro utique probi, legimus, quod

duas

duas simul forores, contra statutum Legis Levit. xviii: 18. in matrimonio habuerit. Præterea de *Rubeno*, filio Jacobi maximo natu constat, quod patris sui uxorem *Bilham* compresserit, Gen. xxxv: 22. xxx: 4. quare ex tenore Levit. xx: 11. *Ruben* & *Bilha* mortis pœnam subirent, qua tamen non sunt mulctati. Si velum, quod Historiam Israëuitarum ante illud tempus, quo Leges Divinas per *Mosen* acceperant, tegit, nunc reterege liceret, animadverteremus eos pluribus adhuc modis contra leges connubiales peccasse; non quidem ex proposito Deum offendendi, sed ex ignorantia harum Legum. Quæ nostra exinde confirmatur sententia, partim quod *Moses* Israëlitis similes quasdam Leges, antea edictas, in memoriam non revocaverit, partim quod Deus sanctioribus statutis distinguere voluerit populum suum, quem per *Mosen* alloquitur, ab aliis vicinis gentibus, in viciorum quorumvis fordes prolapsis. Unde consequitur, Leges has connubiales non universales, sed particulares fuisse, omnes tamen obligasse, ad quos earundem notitia pervenit; id quod in genere de *Jure Divino* voluntario ipse observat *GROTIUS* (a). Ex quibus in summam collectis concludere licet, veteres terræ *Canaan* incolas sibi perspectas non habuisse Leges connubiales, Israëlitis datas, adeoque propter connubia in gradibus prohibitis præcise non fuisse punitos & sua ejetos patria. Hinc tamen nemo leviter inferat, ipsos immeritas subiisse pœnas. Absit, ut hoc credamus; per-

persuasi, quod gravissime peccaverint, non in Legem quandam Positivam, sibi ignotam, sed in Legem Naturalem ipsis optime perspectam. Quisquis enim Cap. XVIII Levit. attente perlegerit, animadvertet, flagitia, ibidem enumerata, ad duo velut summa genera posse revocari, partim ab Ægyptiis, partim a Cananæis isto frequentata ævo; de prioribus, ni fallimur, a versu 6 ad 20 agitur, de quibus occurrit hæc phrasibus Biblica: *Ne retegas nuditatem &c.* quæ singula interdicta, ob defectum universalis promulgationis, sunt ad Leges Positivas particulares referenda. His flagitiis superaccedunt graviora facinora, versibus 20, 21, 22, 23 enumerata, quæ in jure naturali adeo clare prohibentur, ut de eorum pravitate nemo sanus possit dubitare. Huc enim spectant adulteria v. 20, immolatio victimarum humanarum Molecho v. 21. Pæderastia v. 22. infamis cum bestiis consuetudo v. 23, in quibus plerisque obtinet phrasibus: *Ne polluas te.* His porro interdictis recensitis mox additur: v. 24, 25. *Omnibus hisce sese polluerunt gentiles, quos ego dimitto a facie vestra: nam quia polluta est terra, in ipsius iniquitatem animadverto, evomitque terra habitatores suos.* Unde luculentissime patet, Cananæos fuisse punitos non propter transgressionem Legum Positivarum, sed propter nefariam Legis Naturalis violationem; adeoque argumentum GROTII pro asserendo Jure Divino Voluntario Universali tanti in se non esse momenti, quanti idem esse, multis hæctenus fuit visum.

(8) Vid. citat. GROTTII Libr. I. C. I. p. 15.

§. XIII.

Sunt denique nonnulli, qui ad Leges Positivas universales referunt prohibitionem concupiscentiæ praviæ, Patribus in veteri Testamento non quidem ignotam, sed tamen ab Apostolo PAULO RÔM. VII: 7 distinctius commemoratam. Nisi autem fallimur, opinio illa inde erit repetenda, quod existiment, vel Legem Naturalem esse tantummodo normam actionum humanarum externarum, non item internarum, vel quod ratio nostra, sibi relicta, non intelligat quomodo ex tenore justitiæ Divinæ nobis imputari queant actiones, quæ præter nostram voluntatem, adeoque ut videtur, sine nostra fiunt culpa. Dispiciamus igitur quid circa ambo hæc momenta assequatur nostra ratio. Ad prius quod attinet, quum ratio discit, Deum esse omniscium, quem nihil eorum, quæ meditatur vel facimus, fugit, & simul sanctissimum, qui nullam omnino pravitatem ferre potest, concludit, quod Summus hic Legislatores nobis dederit Legem Naturalem in normam actionum nostrarum tam internarum, quam externarum, & proinde quod in hanc peccemus legem non solum malefactis, sed pravis etiam cogitationibus. Quum itaque menti nostræ, Revelationis licet lumine non collustratæ haud obscure constet ratio Legis de concupiscentia prava, sequitur Legem istam esse Naturalem non mere Positivam. Quod ad alterum momentum attinet, verum quidem est, quod originem mali moralis ratio nostra ex se non intelligat, adeoque

E

quod

quod fundamentum imputationis actionum involuntariarum nobis per naturam non constet, quum hoc supponat factum, ex sola Revelatione cognoscendum, lapsum scilicet primorum Parentum; attamen quum virtutis alumnus satis experiatur, quod non solum a malis abstinere factis, sed pravas etiam cogitationes sensum desvescere possit, simul animadvertit, se in culpam neglectus facultatum, sibi concessarum, merito venire, sibi que adeo recte imputari quicquid pravi sive in anima, sive per corpus fiat. Quare ipsi gentiles se ipsos accusarunt, quoties in difficili inter rationem & sensuum lenocinia lucta succumberent, ac concupiscentiam prævalere sinerent. Notissimus est Medæe plandus apud OVIDIUM:

*Excute virgineo conceptas pectore flammæ
Si potes, infelix; Si possem, sanior essem.
Sed trahit invitam nova vis, aliudque cupido,
Mens aliud svadet. Video meliora, proboque,
Deteriora sequor.*

Vel ut alius cecinit Poëta: *Interdum rapimur, trahimurque volentes.* Attamen concupiscentia prava nostræ non ita dominatur voluntati, ut hæc, ratione suffulta, non possit illam cohibere, & vires ejus sensum frangere. Quod quum ita sit, ratio nostra causam proximam, licet non remotam, imputationis actionum, quæ ex prava proveniunt concupiscentia, assequitur, quo quidem intuitu Lex, huc spectans, erit Naturalis dicenda.

Habes ita, Benevole Lector, nostras in celebri de Legibus Divinis Positivis Universalibus controversia qualescunque meditationes, cum aliorum placitis non quidem prorsus convenientes, forte tamen non plane paradoxas. Tuum erit, argumentorum utrinque allatorum momenta ad rationis stateram expendere, & cui æquitas, non auctoritas, suprapondium dederit, album addere calculum.

S. D. G.

